

De Monachio urbe Latinissima

schola pro domo habita a Valahfrido (Wilfried Stroh)¹

De Monachio dicturus sum, sodales, de capite Bauariae, quae urbs a monachis nomen habere creditur, siue Monachium, siue Monacum, siue Germanice *Münichen* aut *München* uocatur, scilicet propter eximiam pietatem ciuium. Quare Monachium olim etiam uocabatur *Roma Germaniae* (*deutsches Rom*). Neque id solum ad pietatem ac religionem spectare debet: *Roma Germaniae* Monachium non semel etiam propter singularem amorem Romanae siue Latinae linguae fuit, qua mihi certis quibusdam temporibus uidetur non solum ceteras urbes, sed etiam Romam ipsam, si dicere fas est, superauisse. Certis temporibus, inquam, non omnibus, nam interdum Monachium quoque alienius erat a bonis artibus et Latino sermone.

Atque ut initium faciamus ab eis quae prima sunt: Monachium quidem non inter uetustissimas Bauariae urbes numeranda est. Romana urbs certe non fuit, ut erant Augusta Vindelicum, Castra Regina siue Ratisbona urbes prosapia Romana et Latina insignes. Cultu linguae Latinae autem multo ante Monachium excellebat Frisinga (cuius me ciuem glorior), ubi medio aeuo maxima ingenia floruerunt, ut Otto ille Frisingensis, qui ea aetate omnium historicorum et philosophorum princeps fuisse dicitur. Post eius mortem tandem aliquando conditum est Monachium, anno 1158, a Guelfo quodam.² Sed postea per plus quam septem saecula Bauaria regebatur a Wittelsbacensibus, qui fuerunt primum duces (*Herzöge*), deinde electores (*Kurfürsten*), denique reges (*Könige*).³ E quibus unus Ludouicus Bauarus initio saeculi decimi quarti ad dignitatem non modo regis Romanorum, sed etiam imperatoris Romani euectus est. Quod tum tantopere displicuit papae Romano, ut eum etiam anathemate excommunicaret. Hanc ob causam Ludouicus Monachium ad se Franciscanos quosdam doctissimos uocauit, ut se uiribus armisque animi contra papam defenderent. Inter quos fuerunt nobilissimi Marsilius Paduanus politologus et Gulielmus Occamus, lumen theologiae scholasticae (qui uiginti annos Monachii fuisse traditur).⁴ Eone igitur tempore Latina studia Monachii uiguisse dicamus? Non puto. His uiris, quos ingenio summo fuisse concedo, lingua Latina minime curae erat: Scribebant illo genere dicendi arido et scholastico, in quo perspicuitas quidem magna est, elegantia nulla. Tum certe Monachium urbs Latinissima non erat.

Quid autem de tempore renascentium litterarum dicamus? An tum Monacenses Latinitatem colere coeperunt? Vere dicam: Ne tum quidem bonis artibus ualde floruit. Si qui fuerunt in Bauaria humanistae qui dicuntur, eos ad se uocabat aut Augusta Vindelicum, noua humanitatis patria, aut Ingolstadium, ubi ea uniuersitas condita est, quae multo postea Monachium translata est. Ibi nonnullos per annos Conradus Celtis, poeta laureatus, Germanorum archihumanista, qui uocatur, docebat, qui Monachium (quantum scio) numquam uidit. Tamen eius uiri doctrinae non nulla semina etiam Monachium perlata sunt, postquam id a. 1505 caput totius i.e. unitae Bauariae esse coepit. Nam Auentinus, Celtis discipulus, historicus maximus, ducum Monacensium filios docebat. Et postea Ludouicus Senfl musicus egregius Monacensis illam methodum ac rationem, qua Celtis utendum esse in antiquis modis

¹ Hanc scholam memoria nixus fere isdem uerbis perscripsi quibus habui. Noli igitur flosculos coloresque oratorios quaerere: nil curabam nisi ut omnia quam maxime dilucida essent. De eadem materia exstat etiam oratio Germanice habita hoc titulo „Lateinstadt München“, *Gymnasium* 113, 2006, 117-150, ubi in notis libris plurimos indicatos inuenies.

² Historiam urbis breuissime delineatam inuenies a Ricardo Bauer, *Geschichte Münchens vom Mittelalter bis zur Gegenwart*, Monachii 2003 (et saepius).

³ Facilem aditum ad Wittelsbacenses nunc praebet uolumen editum ab Aloisio Schmid et Katharina Weigand sub titulo *Die Herrscher Bayerns: 25 historische Portraits von Tassilo III. bis Ludwig III.*, Monachii 2001 (ubi etiam libri indicantur).

⁴ Cf. Hubert Glaser, in: Max Spindler (ed.), *Handbuch der bayerischen Geschichte*, II, Monachii 1988, 819-829.

componendis docuerat,⁵ arripuit scripsitque sua *Varia carminum genera*, a. 1535 edita, opus dulcissimum.

Sed iam multo antea fuerunt quidam humanistae uere Monacenses, si non arte egregii, at certe non omnino spernendi. Extat enim elegia quaedam, scripta saeculo decimo quinto exeunte, quae incisa est in porta quadam Templi D. Dominae (*Frauenkirche*).⁶ Agitur autem in hoc elegiaco carmine de Sigismundo duce, qui ad templum aedificandum primum lapides iecerit, i.e. fundamenta posuerit. Ad hanc elegiam ut ad humanitatis Monacensis primum testimonium animos attendite. Incipit a sententia communi, a querela de fortuna ac tempore:

Clam fortuna ruit fragili pede tempus et hora
 Nostraque sint semper facta dolenda nimis
 Ecce Sigismundus princeps serenissimus urbis
 Bawarie Reni duxque comesque diu
 Huic animi pietas uirtus prudentia summa 5
 Alma deo complens uotaque digna pie
 Virginis excelsae templum dum construi cernit
 Saxum fert primum letus honore Dei

Paucissima adnotare iuuat. Ad u. 1. *Clam fortuna ruit fragili pede* ... Hucusque carmen perspicuum est. Nam *ruit* idem est atque *corrui*, *collabitur*, scilicet propter fragilitatem pedis (sic etiam Seneca in tragoediis: *fortuna ruit*). Difficilius est quod sequitur: *tempus et hora*; ea quoque, ut uidetur, ruunt, sed sensus alius est: non corruunt sane *tempus et hora*, sed aufugiunt, ruendo abeunt. Ergo hic poeta figura *zeugmatis* usus uidetur: fortuna corrui, tempus fugit.

Ad u. 2. *Nostraque sint semper facta dolenda nimis*. Hic malis *fata* legere pro *factis*. Coniunctiuus uidetur esse iussiuus eum in modum, ut uim gerundiui (*dolenda*) augeat: „*semper nostra facta* (siue *fata*) debent doleri.“

Ad u. 3. Hoc loco expectes aliqua exempla tristium factorum, neque ea exhibet poeta, sed subito transit ad laudem Sigismundi: *Ecce Sigismundus* ... Hic autem peccat quod *e* corripit in *serenissimus* (aures secutus Bauaricas).

Ad u. 4. *Bawari(a)e dux* est „Herzog“; *R(h)eni comes* „Pfalzgraf bei Rhein“; *diu* necessario additur, quoniam eo tempore dux non iam erat.

Ad u. 5. Honores et titulos nunc sequuntur animi bona. Inter uirtutes *pietas* apud Bauaros semper est prima, sequitur *uirtus* (fere eadem ac fortitudo); denique *prudentia*, quae inter uirtutes Platonicas primum locum habet.

Ad u. 6. *complens* i.q. complet: participium pro uerbo finito etiam Celtis adulescens saepe adhibuit. In *uotaque* translatum est *que*; intellege: Alma dignaque uota deo complens.

Ad u. 7/8. Sequuntur uersus maximi momenti: *Virginis excels(a)e templum dum construi* [iterum uitium e pronuntiatione Bauarica natum] *cernit* / *Saxum fert primum* ... Certum est Sigismundum primum lapidem posuisse. Sed quid antea? Num ipse templi construendi consilium cepit? Sic fere omnes, qui nunc de historia Monachii et eius templi scribunt: Intellegunt enim sic, ut *cum* habeat uim causalem, *cernit* sit pro *decernit*, ut hic sit sensus: „Quoniam constituit templum construere Virginis ...“ – perperam atque contra naturam, ut puto. Aliter intellegendum: „Is cum uideret (siue uidisset) templum uirginis construi ...“, ubi *construi* de conatu, ut aiunt, accipiendum est. Ergo ciues Monacenses (qua erant pietate) Mariae templum construebant: id uidit Sigismundus dux, attulit primum lapidem, ne tantae rei ipse deesse uideretur. Hoc igitur templum, quod est nunc quasi insigne urbis, ciuium opus est, non Wittelsbacensium.

Quis autem carminis auctor fuit? Poeta mediocris, certe non optimus. Nam meliora tum fecerunt uel Rudolphus Agricola Heidelbergensis uel Conradus Celtis Ingolstadiensis

⁵ Cf. Eckart Schäfer, *Deutscher Horaz* [...], Aquis Mattiacis 1976, 10-13.

⁶ Rudolf M. Kloos (ed.), *Die Inschriften der Stadt und des Landkreises München*, Stuttgartiae 1958, 42.

(quamquam is quoque non numquam delinquit in metricis). Vnde ueri simile est hunc poetam esse Monacensem indigenam. Atqui scimus Monachii exstitisse eo ipso tempore quosdam magistros poetriae, ut uocabantur, qui in uicinia huius ipsius templi D. Dominae litteras Latinas docebant seque dicebant *poetas* (ut Itali illi humanistae). Ergo unum ex illis scholae Latinae gubernatoribus huius carminis conditorem fuisse suspiceris. Qui et meritum Sigismundi agnouit et tamen suis ciuibus Monacensibus ius primi consilii uindicauit. Nec nomen eius nouimus nec tempus quo scripsit. Indicat certum annum distichon paenultimum (uersus 13 sq.): *Anno milleno quadringent sexaque geno / Octauo*, i.e.: anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, sed hic is annus dicitur, non quo elegia condita sit, sed quo fundamenta templi posita sunt. Ergo aliquanto tempore post haec elegia et facta et lapidi incisa est.

Inter illos magistros poetriae longe eminent unus, qui dimidio saeculo postea floruit: Martinus Balticus.⁷ Nomen fortasse miremini (Baltici), quod Bauaricam originem prodere non uidetur. Sed is Balticus ualde Monacensis erat et amans patriae. Legite ex elegia ad Melanchthonem scripta:⁸

Non procul Italicis urbs distat ab Alpibus: illam
 Caeruleus gelidis Isara claudit aquis.
 Hic est Alberti Boiorum principis aula,
 Qui tenet extincto scepra parente suo.
 Haec ego conspexi primam prope moenia lucem, 5
 Nec patriam tenuem poenitet esse casam.

In u. 3 nominatur *Albertus V.* dux, summus Musarum fautor. In u. 5 poeta iucunde diiungit *haec ... moenia et primam ... lucem*. Dicit autem in u. 6 suam *tenuem casam*, quia infima condicione natus erat; id autem in sequentibus nihil referre ad immortalitatem nominis, quam sibi sperauit, affirmat. Melanchthonem autem alloquitur, quoniam is eum Vittenbergae docuerat, praeceptor Germaniae (qui dicebatur), amicus ac socius Lutheri. Vnde non iniuria plurimi credebant Martini Baltici quoque animum inclinare ad disciplinam protestanticam. Is tamen semper sperabat fieri posse, ut per Melanchthonem mitissimum uirum illae discordiae religionis aliquando tollerentur.

Maximam autem famam assecutus est fabulis scaenicis, quas in scaenam Monacensem dabat, quae et typis imprimebantur et peregrinis quoque hospitibus admirationi erant. Ac mihi lepidissima uidetur tragicomoedia titulo *Adelphopolae*, quae a. 1554 Bacchanalibus in curia Monacensi acta est. Continet autem notissimam fabulam de Iosepho Iacobi filio, qui a fratribus uenditur (inde *Adelphopolae* i.q. fratris uenditores), deinde in Aegypto uinculis traditur, postea ad summam dignitatem ascendit, fratres reuisit patrique suo redditur. Haec omnia poeta quinque actibus complectitur, nec quicquam omittit. Optime describit Seraphin, uxorem Potiphar eunuchi, mulierem nequiores, quae amore Iosephi Iudaei bellissimi exardescit (omnes autem personae, etiam feminarum, a discipulis masculis agebantur).

SERAPHIN. Sanè nisi mecum iuuenis hic consueuerit,
 Et ludet in meo breui blandus sinu,
 Descendero sub inferos citissime.
 [...]
 Iuuenis ueni mecum mihi dilectissime,
 Meumque lustrato cubile blandulus.
 [...]
 IOSEPH. Tunicam tene, mihi castitas est carior.

⁷ Cf. Karl von Reinhardtstöttner, *Martinus Balticus*, Bambergae 1890. De omni genere humanistarum Bauarorum optime agit Hans Pörnbacher, „Literatur und Theater von 1550-1800, in: Spindler, *Handbuch* II (ut adn. 4) 978-1024.

⁸ Elegia I 10, 13-18; in: *Poematum Martini Baltici Monacensis libri III*, Augustae Vindelicum s.a.

Videtis trimetros paene puros (nisi quod locis singularum breuium interdum binae breues ponuntur)⁹. – Actio, quae in scaena spectandam se praebet, non indicatur separatim, sed more antiquo e uerbis personarum intellegi debet. Ergo ante uerba *Tunicam tene* mulier amore furiosa tunicam eripuisse uidetur adulescenti, nempe ut facilior sibi impetus fieret; Iosephus tum fugit sine tunica quidem, sed cum sententia arguta: optime dictum – pessime factum! Seraphin enim ministros suos magna uociferatione conclamat, tamquam uim sibi Iosephus afferre uolerit, cuius sceleris pignus (uelut *corpus delicti*, ut nunc aiunt) tunicam tenet.¹⁰ Iosephus autem in summa innocentia carceri traditur.

Atque haec scaena grauissimos affectus habet. Sed etiam meliora sunt ea quibus Balticus mitiores animi motus exprimit. Audite Iacobum senem laetitia exultantem, cum Iosephum pridem perditum reuisit.

IACOB. O pectoris leuamen unicum mei,
 O sanguinis mei recreator unice.
 Salue meus animus, uoluptas & mea.
 Amplexus ô quo nil optatius mihi
 Ex rebus accidere potest mortalibus.
 O osculum metallo omni preciosius.
 Nunc nunc moriar licet, uenire non nimis
 Citò mihi mors unquam potest, quandoquidem
 Quo nil opes inter naturae dulcius
 Deus homini dedit, modo uiuum uidimus.

Talia apud Senecam tragicum raro inuenietis. Habet Romanorum unus Terentius in *Adelphis*, quos M. Balticus hac in re, ut in titulo dramatis, feliciter imitatus est.

Eheu – quinque annos Martino Baltico Monachii docere licuit, non amplius. Inuidebant ei multi propter Lutheranismum aut Zwinglianismum; donec anno 1559 urbem relinquere et Ulmam in urbem Suebicum et protestanticam transfugere constituit. Sunt qui dicant eum uerberibus et flagellis eiectum esse, sed id uerum non est: immo Monacenses ciues et magistratus Martinum discedentem summis laudibus ut magistrum optime de se meritum persecuti sunt.

Non tam Monacensibus id tribuendum est, quod poeta egregius, ut postea Thomas Mann, urbem reliquit, sed magis ei uiro, qui tum acerrimus defensor ueteris religionis exstitit: Albertus V. dux Bauariae, quem iam commemorauimus ut eum, qui Musas Monacenses ut nemo antea fouerit et tutatus sit.¹¹ De quo dictum est: *Libros amabat non secus ac liberos*. Quare Bibliothecae, postea Regiae (nunc *Staatsbibliothek*) fundamenta iecit; optimos musicos ut Orlandum Lassum ad se uocauit aut apud se retinuit; semper secum habuit poetas, qui ei libros dedicabant ab eoque munificentissime donabantur. (Si quando uobis licuerit Monachium uenire: uisitate eius *Antiquarium* q.d., ubi sescentae imagines Caesarum Romanorum asseruantur.) Nil pulchrius, elegantius, Romanius in tota Germania inuenietis. Sed idem Albertus, ut dixi, summa seueritate protestantes siue Lutheranos persequebatur. Quare eius ordinis homines Monachium uocauit, qui tum ueterem religionem acerrime tuebantur, dico Iesuitas siue patres Societatis Iesu,¹² quibus Monachii et collegium dedit et scholam.¹³ Splendor autem et amplitudo Collegii talis erat, ut id simile Escoriali Matritensi

⁹ Vt *nisi* in primo uersu. De metris cf. infra adn. 22.

¹⁰ Hac scaena Balticus aperte Senecae *Phaedram* imitatur.

¹¹ Cf. Karl von Reinhartstöttner, „Zur Geschichte des Humanismus und der Gelehrsamkeit in München unter Albrecht dem Fünften“, *Jahrbuch für Münchener Geschichte* 4, 1890, 45-174. De eodem Reinhold Baumstark in: Schmid / Weigand (ut adn. 3) 173-188.

¹² Cf. Joachim Wild et al. (ed.), *Die Jesuiten in Bayern 1549-1773* (catalogus demonstrationis), Weißenhornii 1991.

¹³ Cf. Rolf Selbmann, *430 Jahre Wilhelmsgymnasium* [...], Monachii 1989.

diceretur. Ne dux quidem ipse in aequae pulchro palatio habitabat. Gymnasium autem Iesuitarum mox plurimos discipulos ad se attraxit, abstraxit a schola illa poetriae (quae etiam post discessum Baltici remanserat). Quare? Non, puto, quo Iesuitae melius Latine scirent quam magistri poetriae, sed quod docebant gratis, nullo salario. Nec mirum: sumptus praestitit Albertus dux et in gymnasium et in theatrum – cuius decus erat eximium. Pauca dabo exempla.¹⁴

Anno 1568 nuptiae Gulielmi filii ducis, qui postea successurus erat, celebratae sunt. Data est ad exornandum festum *Samson* tragoedia, in qua non solum ueteris testamenti personae prodibant, sed etiam Hercules, Musae, chori Nympharum et Satyrorum; intercinebant chori singulis actibus cantica, quae composita erant ab ipso Orlando Lasso musicorum in orbe terrarum ea aetate maximo. Quid simile edere potuit misera illa schola poetriae? Tunc Iesuitae omne decus humanitatis ac doctrinae ad se arripuisse uidebantur. Nec minora erant spectacula scaenica, quae proximis annis exhibebant. De quibus nunc quoque iudicant, qui artis scaenicae historiam digerunt, nihil tum in tota Europa aequae pulchrum, ornatum, expolitum fuisse atque hos ludos Monacenses.

Postea edita est, ut duo exempla addam, *Constantinus* tragoedia, quae duobus diebus continuis in Foro publico, quod nunc Forum Mariae est, a mille actoribus agebatur (quorum magna pars equites erant). Additus est tamquam fastigium huius artis *Triumphus Diui Michaelis*, actus 1597¹⁵ ad dedicationem celebrandam templi D. Michaelis, quae est quasi arx religionis catholicae de omnibus haereticis triumphantis. Quod spectaculum si ad leges Aristotelis et Horati reuocas aut comoediis Terenti tragoediisque Senecae comparas, certe non optimum est – argumentum uarium et diffusum erat et per omnia saecula saeculorum peruagabatur – sed populo tum tantopere placuit, ut decem horas solidas patienter spectaret. Tanta erant in illo spectacula etiam mechanica et pyrotechnica.

Sed hic *Triumphus* quasi ultimus e maximis triumphis erat, quibus ars scaenica Iesuitica Monacensis gloriabatur. Nam Gulielmus V. dux, qui religionis et artium causa nimios sumptus fecerat aereque alieno oppressus erat, imperio sese abdicare coactus est. Qui autem successit, longe alio ingenio praeditus erat: Maximilianus I. dux, postea elector,¹⁶ uir durus, parcus, seuerus – qui plus quam quinquaginta annos in Bauaria felicissime regnauit (nec puto maiorem umquam ciuitatis gubernatorem Bauaria tulit). Is ut aerario publico subueniret, omnes sumptus minuit, non tam in pictores et architectos quam in poetas et musicos, quamquam ipse Latino sermone ad amussim excultus erat.¹⁷ Maior pars symphonicorum dimissa est (Orlando, quod duci bene accidit, iam mortuo), pauci libri emebantur ad bibliothecam augendam, quos dux tamen ut draco suum thesaurum custodiebat: Nemini licebat uti aliquo libro nisi Maximiliano assentiente. Sic euauit etiam eximius ille splendor theatri, pecunia non quidem deficiente, sed minus abunde affluente.

Nec tamen hac inopia ipsa ars scaenica deminuta, sed nimis sumptibus quasi liberata ad nouum culmen peruenit. Hisce enim annis in theatro Monacensi praeter alios florebat Musa Iacobi Bidermann, e Societate Iesu, quem nunc quoque principem scriptorum scaenicorum eius saeculi credunt. Is Monachii anno 1607 primum edidit *Belisarium*,¹⁸ tragoediam non magis Christianam quam Stoicam (eum in modum ut Seneca ipse in tragoediis minus Stoicus uideatur). Primas autem partes agit Fortuna, quae dominari uidetur; sed est famula ipsa Prouidentiae: ea igitur Fortuna ministra Belisarium imperatorem a maxima dignitate in summam deturbat miseriam (qualis nimirum est notissima Rota Fortunae), ut peccatum

¹⁴ Egregie de his quoque Karl von Reinhartstöttner, „Zur Geschichte des Jesuitendramas in München“, *Jahrbuch für Münchener Geschichte* 3, 1889, 53-176.

¹⁵ Bene ediderunt et commentariis ornauerunt Barbara Bauer / Jürgen Leonhardt, Ratisbonae 2000.

¹⁶ Cf. maxime Dieter Albrecht, *Maximilian I. von Bayern 1573-1651*, Monachii 1998, praecipue 249 sqq., 285 sqq.

¹⁷ Cf. Helmut Dotterweich, *Der junge Maximilian*, Monachii (1960) 21980.

¹⁸ Cf. Harald Burger, *Jacob Bidermanns ‚Belisarius‘: Edition und Versuch einer Deutung*, Berolini 1966.

aliquod uetus agnoscere et debitam poenam luere possit – fabula tam pia quam ad regulas artis facta et quae animos spectatorum magnopere commoueat.

Sed longe antecedit eius fabulae famam alterius dramatis gloria, quod nunc quoque Germanice translatum in scaenis exhibetur. Is est *Cenodoxus*¹⁹ tum anno 1609 Monachii editus omnibus plaudentibus, multis etiam plorantibus. Cenodoxus, ut nomen Graecum indicat, doctor est magnae sed uanae sapientiae. Omnes eum ut prudentissimum, religiosissimum, benignissimum laudant; ipse sibi etiam magis laudabilis uidetur – sed frustra! Neque enim uera est illa sapientia, quam iactat; ipse a pessimis uitis regitur, scilicet philautia (amore sui) et hypocrisi (simulatione) – quae ipsae ut personae siue personificationes in scaenam ueniunt. Etiam cum moritur Cenodoxus, non ille quidem ad humilitatem et ueritatem descendit, sed tamquam actor scaenicus sese componit, ut sapientem Stoicum agat et quasi nouus Seneca obeat. Audite eum quasi in extremo spiritu talia gloriose per subtiles antitheses perorantem:²⁰

CEN. Lectissimi flores: docere jam quidem Lingua nequit, occupata magno corporis Incommodo: tolerantiâ atque robore Animus docere potest. Facere non dicere Virtus docuit. Adeste, mecum temnite	5
Non aegritudinem modò, sed et ipsius Adversa mortis tela. Nec modò spernite, Verum appetite. Pulchrum est DEO spectaculum, Hominem videre, cum doloribus & nece Compositum; ²¹ eundem posse frangi, non tamen	10
Terrefieri, uincive. Mors mala non erit, Nisi vita fuit. Et inanis est rei metus, Augere quam timor potest, demere nequit. Moriar? id exspectaeram. Moriar? bene est; Ita desinam aegrotare posse; ita desinam	15
Posse alligari, posseque mori desinam. ²²	

Quibus uerbis nunc interpretes plurimi irrideri credunt a Bidermanno Stoicam disciplinam – non puto! Imitatio siue simulatio Stoicae sapientiae hic damnatur, non ipsa.²³ Sed utcumque haec sunt, nil certe prodest Cenodoxo simulata sapientia et magnitudo animi. Nam a diabolis ad tribunal Christi rapitur, condemnatur in poenam sempiternam. Quo casu tum spectatores Monacenses tantopere commoti et percussi sunt, ut quattuordecim eique nobilissimi statim ad exercitia spiritualia nomina profiterentur, actor principalis (qui Cenodoxi partes agebat) ipse socius Societatis Ieus fieret, uitam dehinc sanctissimam ageret.²⁴ Tanta uis potest esse in actione scaenica!

Ipse autem Maximilianus I. dux, postea elector, aliam rem multo magis curabat quam Musas theatri, dico historiam. Voluit inuenire princeps aliquem qui historiam Bauariae digne

¹⁹ Cf. Helmut Gier (ed.), *Jacob Bidermann und sein ‚Cenodoxus‘*, Ratisbonae 2005 (etiam de aliis Bidermanni operibus).

²⁰ Rudolf Tarot (ed.), *Jakob Bidermann: Cenodoxus*, Tubingae 1963

²¹ Cf. Seneca, *De prouidentia* 2,8

²² Hos quoque Bidermannus trimetros puros esse uoluit. Nam quod caesuras saepe negligit (ut statim in u.1 *Lectissimos flores*, unde uersus nascitur bipertitus) et uerba tribrachica, ut u. 4 *Facere*, aut dactylica, ut u.13 *demere*, ad totum pedem explendum adhibet, id tum nemini molestum erat, cum subtiliores leges senarii trimetricae quas Ritschelius alique postea inuenturi erant, ignotae essent.

²³ Cf. Stroh, in: Gier (ut adn. 19) 227.

²⁴ „Praemonitio ad Lectorem“, in: J. Bidermann, *Ludi theatrales*, 2 uol., uol.1, Monachii 1566, Tubingae 1967 (s.p.).

conscriberet.²⁵ Quod cum in aliis expertus est tum in Matthaeo Rader S.I., uiro singulari doctrina, pietate grammaticaeque scientia, quem in aulam uocauit ad id ipsum ut opus historicum componeret. Sed infeliciter accidit ut principis iussa nimium discrepant a uoluntate primorum Societatis Iesu. Quare postea id opus Maximilianus alteri impexit: Iacobo Balde S.I., poetarum tum celeberrimo.²⁶

Sed ea multo postea futura erant. Nam Iacobus Balde iam adulescens Monachium uenerat. Viginti duo annos natus a. 1626 iussu superiorum in gymnasio Monacensi docere coepit – felici euentu: mox ad summum gradum rhetoricae euectus est. Hic autem cum discipulis mira opera peregit: In *Regno Poetarum* duodecim poetae antiqui in scaenam ueniebant (de quibus nunc dicturus non sum, cum iam in priore conuentu dixerim). Etiam minus nota nunc sunt emblemata LXV, quae a. 1627 aut 1628 sub titulo *De dei et mundi amore* publice in parietibus gymnasii proposuit.²⁷ Hic autem inter se pugnant Christus, qui est quasi Amor Dei, et ab altera parte Cupido, qui est et Cupido ipse, id est cupiditas amatoria (ἐπιθυμία ἐρωτική) et in uniuersum omnis Amor mundi.²⁸ Vt in hoc folio (uicesimo sexto) uidetis Christum in dextera parte contionantem et digito notantem Cupidinem, qui in ansere sedens elephanti tergo insistit.

Is autem elephantus ab auibus pluribus sustentatus uolare cupit nec potest, sed in terram delabi uidetur. Suprascriptus est uersus hexameter:

Grande est conspicuum nostro quoque tempore monstrum²⁹

Sequitur pictura, tum prima subscriptio metro soluta, deinde altera poetica (quae sensu similis est).

Miremur tantisper Elephantum paruam Getuliae auiculam [*notetur ironia!*] conspicuis fratribus suffultam ne cadat³⁰ et tamen cadit: plumigera moles est,³¹ rostro domos et culmina sternit, dentiente gingiua³² apros ientat. Stultus ergo Cupido fuit, qui insistens hoc animal ad pondera natum sperauit uolatum auium.

Legamus elegiam:

Fulta licet multis auibus sit bellua, nunquam
 Hâc tamen ad superos mole uolabit Amor.
 Ille tamen cuperet nubes penetrare, sed obstat
 Carnea naturae machina, Barre cadis.
 Tuque Cupido cadis: non bos tibi conuenit Indus
 Conueniet Siculus rectius ergo tibi³³

²⁵ De his rebus optime egit Iosephus Bach in praefatione editionis *Jakob Balde: Interpretatio Somnii de cursu Historiae Bavaricae*, Argentorati 1904 (cf. adn. 44). Nuper Alois Schmid, in: Notker Hammerstein / Gerrit Walther (ed.), *Späthumanismus*, s.l. (Gottingae) 2000, 84-112.

²⁶ Cf. Georg Westermayer, *Jacobus Balde*, Monachii 1868, ²Amstelodami / Marsseni 1998; Wilfried Stroh, *Baldeana*, Monachii 2004 (cum indice librorum); Th. Burkard et alii (ed.), *Jacob Balde im kulturellen Kontext seiner Epoche*, Ratisbonae 2006. Libros nouos indicat www.klassphil.uni-muenchen.de/~stroh/balde-bib.htm.

²⁷ Cf. Günter Hess: „Amor in München“, in: Wolfgang Harms / Dietmar Peil (ed.), *Polyvalenz und Multifunktionalität der Emblematis* I, Francofurti 2002, 25-46. - Haec emblemata Baldeana semestri hiemali 2005/6 una cum Claudia Wiener tractaui in Seminario Monacensi. De hoc emblemate explicando maxime tum meritis est Thomas Ziegler.


²⁸ Amorem mundi et amorem Dei inter se opposuit maxime Augustinus, quem Balde hic sequitur.

²⁹ Nisi quid scriba peccauit (*est pro et?*), sic intellegendum: „(Hoc) grande monstrum nostro quoque tempore conspicuum est.“

³⁰ *ne cadat* pendet a *suffultam*.

³¹ Malim omittere *est*, - sed incertum uidetur (mirum est quot errores scribae in his foliis sint, quae tamen in parietibus Gymnasii pependisse certum est).

³² i.e. iam gingiua dentiente siue primos dentes emittente apros pro ientaculo manducat: de puero igitur aut infante elephante dicitur.



Cupido non potest ad astra sese leuare, quod elephanti uehiculum impedit nimis ponderosum. Elephante autem sine dubio mortale corpus significat, quod mentem ad supera natam deorsum premit.³⁴ Ex magna parte igitur carmen Platonicum est (quoniam nemo e philosophis diligentius quam ille docuit, quam molesta corporis moles alato animo esset³⁵); sed furtim Platonem etiam carpere uidetur Iacobus. Nam Plato docuerat per Amorem fieri posse, ut animus ad altiora leuaretur³⁶ (qui dicitur Amor Platonicus, Ἔρως Πλατωνικός, quo tamen nomine nunc multi peruerse abutuntur); id ipsum autem Balde negat: Vnus Christus astra

³³ Dicit taurum aeneum, in quo Phalaris rex Agrigentinus suos inimicos ignibus subiectis torruisse narratur; quae fabula siue historia praesertim e Cicerone et Ouidio nota est.

³⁴ De quo Balde postea scripturus erat suam *Vraniam uictricem*, i.e. humanam animam caelo destinata.

³⁵ Alae animi commemorantur etiam in carmine *De uanitate mundi* (str. 84), cf. Stroh in: *Baldeana* (ut adn. 26) 128; cf. Plat., *Phaedr.* 246 D, 249 C.

³⁶ Sic in *Conuiuio* et *Phaedro*, de quibus succincte Herwig Görgemanns, *Platon*, Heidelbergae 1994

adibit, Amor siue Cupido non poterit. Totum opus Baldeanum certe argutum est et quod mireris adhuc in Bibliotheca Publica Monacensi ineditum iacere. Peruelim autem scire num ea emblematum demonstratio Maximiliano Electori tum temporis innotuerit.

At certe octo annis post Iacobo Balde, qui tum Ingolstadii Rhetoricam docebat, nouum opus mandatum est, quod ualde ad Electorem pertineret. Carmen scribendum erat nuptiale, quod uocatum est *Epithalamion*. Quid enim actum? Vxor Maximiliani a. 1635 decesserat sine liberis, ut nulla spes successoris uideretur. Quare Maximilianus eodem anno nouam sibi coniugem ducendam esse constituit; elegit autem Mariam Annam Ferdinandi imperatoris filiam adulescentem, cum ipse senex esset sexaginta trium annorum, ut ex illa filium et successorem quaereret. Riserunt homines maleuoli ubique: sed Maximilianus quae uoluerat fere semper effecit: Post unum annum futurus elector uagiebat in cunis, Ferdinandus Maria. Ad has igitur nuptias celebrandas Balde suum scripsit *Epithalamion*, carmen mire facetum ac iocosum.³⁷ Vnam partem uobis legam quae maxime ad Monachium pertineat.

Scitote igitur nuptias ipsas Maximiliani senis et Mariae Annae puellae factas esse Vindobonae in Templo D. Stephani. Sed inde illud par Monachium celerrimo cursu redibat. Quare omnes di immortales deaeque, cum Monachii reditum illorum exspectarent, inter se deliberabant quomodo eos accipere et honore prosequi possent. Tunc statuit Phoebus Apollo Musarum musagetes canticum esse a choro deorum dearumque cantandum et saltandum, quo Maximilianus cum noua nupta apte laudaretur. Sed id uix successit, cum pars cantantium uerba parum intellexeret. Periculum seu experimentum fecerunt, meditati sunt nouum canticum, antequam Maximilianus adesset. Audite et uidete, quid tum acciderit: Apollo ipse chororum gubernat, cuius uerba monentis litteris minusculis a Iacobo Balde ipso notata sunt; quae chorus deorum *ad compositos numeros* cantat et saltat (scilicet uerba a Phoebo dictata), ea Balde poeta litteris maiusculis (siue uersalibus, ut nunc dicunt) perscripsit.

*Praecine Calliope.*³⁸ *Peccantem quemque monebo.*
 PAR SUPERUM, QUOD CERNO LIBENS *sustollite vultus,*
Plaudite consertis manibus. PROCEDE SECUNDIS
 OMINIBUS³⁹ *Septemque simul procedite passus.*
Euterpe revoca octavum: Polyhymnia quinto
*Adde duos.*⁴⁰ SERO ASTRORUM CONSCENDERE SEDES⁴¹
*Bacche leua uocem.*⁴² UT CUIAS; *jam Stentoris instar*
Ingeminas: moderere sonum, velut inclyta Clio.
 UT CUIAS. MULTUM NOSTRI TIBI PROMIMUS AEVI.⁴³
 Altiùs. ET RUTILUM SILENI FUNDIMUS AURUM.
O Rus! O Satyros! Saturni fundimus aurum.

³⁷ Nomine Collegii Societatis I. Monacensis publicatum est primum Monachii 1635; postea in *Poematibus*, Coloniae 1660, et in *Operibus poeticis omnibus*, Monachii 1729, uol. 3, 234-254.

³⁸ Nam ea inter Musas primum locum habet; cf. Hesiodum, theog. 79.

³⁹ Vt uidetur, carmen ipsum plane tritum atque uulgare est; tale enim compositum est ut id oblata occasione uel mediocri poeta effutire possit. Noli tamen id putare Baldei esse: Phoebus fecit.

⁴⁰ Etiam Musas interdum in saltando peccare cognoscimus. Debebant septem passus progredi („Siebenschritt“, i.e. saltatio septenorum passuum, nunc quoque inter Bauaros celebratur): Euterpe autem octo passibus modum excessit; Polyhymnia quinque tantum passus progressa duos male omisit. Miserum musagetam!

⁴¹ Haec est apotheosis ueterum quam Iacobus Balde non semel cum opinione Christiana siue catholica de Diuis (seu Sanctis) continuo post mortem in caelestes sedes assumendis coniungit.

⁴² Non ut acutius sed ut fortius cantet Bacchus rogatur, ut e sequentibus uerbis apparet. Nam Apollini nimis obsecutus Stentorea uoce cantum dirumpit.

⁴³ Sic in editione principe 1635 et editione 1660; editio 1729 (cf. adn. 37) pro *PROMIMUS* habet *FUNDIMUS*, quod e proximo uersu sumptum uidetur. Sensus utique obscurior. Chorusne de spatio suae uitae aliquid demere illisque superis (quos dicunt) addere in animo habet? (Sed id si ad deos immortales referatur, absurdum est.) An *nostrum aevum* est aetas ferrea Hesiodi Ouidiue cui admiscere aliquid de aurea aetate Saturni cupiunt? Sed nec *promimus* in hoc uersu nec *fundimus* in sequente aptissima uerba uidentur.

Videtis quid actum sit: Satyri non intellexerunt hic agi de aetate aurea, i.e. de aetate Saturni. Quare pro *Saturno* inculcauerunt suum *Silenum* (principem Satyrorum): *Sileni fundimus aurum pro Saturni fundimus aurum!* Miror Iacobo Balde ita iocari licuisse in nuptiis augustissimi electoris; quare suspicor iam tum familiaritatem aliquam inter illos fuisse (sed id incertum est).

Certe duobus annis post, a. 1637, Balde iterum Monachium uocatus est (sic suadente Maximiliano, ut suspicamur). Vbi primum in gymnasio docebat, deinde in Aula ipsa contionabatur (i.e. praedicabat), denique a Maximiliano superis Iesuitarum assentientibus hortantibusque historiam Bauariae scribere cogebatur. Quod officium historiae conscribendae Iacobo poetae perquam molestum erat. Erat enim tunc, ut ipse ait, in *furore* quodam *lyrico*.⁴⁴ Nihil cogitabat, nihil spirabat nisi Horatium et ipsas Musas lyricas. Quinque tamen annis continuis nihil operis aut carminis edidit poeta tam felix ac fertilis; tum anno 1643 in lucem prodiit Monachii opus lyricum, quantum orbis litterarum ante non uiderat: *Lycorum* libri IV, *Epodon* liber I, *Sylvarum* libri VII. Duodecim libri, qui numero et pondere non solum Horatium superarent, sed etiam Vergili Aeneidem adaequarent. Huic operi, ut Balde ipse scripsit, *orbis applausit*, non solum Germania, sed etiam Belgium, Francogallia, aliae nationes. Longissima autem Ode (Lyr. IV 1)⁴⁵ scripta est, ut par erat, ad Maximilianum, quae Ode non tam Christiana est quam Stoica. Docet enim Iacobus Balde omnia pendere a prouidentia Dei. Ac primum dicit de totius mundi administratione, deinde de historia hominum, cuius sunt diuersae aetates, postea (quae pars longissima est) de uita Maximiliani, cui prouidentia semper fauerit. Audite initium!

VNde haec dierum certaue noctium
Vicissitudo! quis vaga nubium,
Solemque, palanteisque stellas,
Et volucreis moderatur horas?
[...]
Legem sequuntur cuncta. DEUS, DEUS
Mundo supremus praesidet Arbiter⁴⁶
[...]

Desinit autem Ode in nouos filios, Ferdinandum Mariam et Maximilianum Philippum, qui Maximiliano nati sunt e Maria Anna:

Solatur HERES BISGEMINUS Senem,
Patremque fecit. jam tibi discutit
Curas, & aetatem coronat
Viva tener rosa FERDINANDUS.

Jam Frater audit:⁴⁷ jam quoque⁴⁸ Castori
Pollux adhaeret. jam lepidi fluunt
In verba risus:⁴⁹ jam pererrat
Parvulus AEMILIANUS Aulam.⁵⁰

⁴⁴ Ac de his molestiis obscure dicit in *Sylvarum* lib.VII 15, aperte fatetur in scripto apocrypho cui titulus *Interpretatio somnii* (cf. adn. 25). Nouam editionem commentario instructam praeparat Katharina Kagerer Monacensis. Cf. interim Christoph Friedrich Sauer, in: Gerard Freyburger / Eckard Lefèvre (edd.), *Balde und die römische Satire*, Tubingae 2005, 107-146. - De Balde historiographo nuper egit Manfredus Kessler, in: *Zeitschrift des Historischen Vereins für Schwaben* 101, 2007, 143-150.

⁴⁵ Oden Germanice uertit et enarrat (sed audacissime!) Dieter Breuer, *Oberdeutsche Literatur 1565-1650*, Monachii 1979, 228-241. Cf. adn. 50.

⁴⁶ Cf. Seneca, *De prouidentia* 1,2-4; *Phaedra* 959-971. Maiestatem Dei mundi gubernatoris saepe auxit Iustus Lipsius Neostoicorum princeps.

⁴⁷ i.e. iam frater dicitur, a fraterculo scilicet.

⁴⁸ *quoque* more poetico translatum est; intellege *Pollux quoque* ...

⁴⁹ Infantes ridet, antequam loquuntur; postea eorum risus in loquelam paulatim transit. Quod poeta dulcissime expressit.

Videtis quam inter se differant primi uersus, ubi totius mundi maiestas in conspectum uenit, et ultimi uersus, quibus filii paruuli depinguntur. Nil suauius umquam, puto, Monacenses Musae cecinerunt. Tum certe Monachium urbs erat Latinissima. Nec diu mansit. Quinque annis post Iacobus Balde, qui paene nihil historiae scripserat, ex Aula remotus est, deinde Monachium reliquit (a. 1650), paulo post (a. 1651) Maximilianus mortuus et sine pompa oratorum aut poetarum sepultus est. (Visitare, si quando licuerit, eius sepulchrum in templo D. Michaelis tam simplex et inornatum.) Sic ad finem adducta est aetas illa aurea Monacensis, quo tempore nullam urbem in orbe Latiniorem fuisse existimem. Nam successor Maximiliani, Ferdinandus Maria, non tam Latinas Musas colebat quam Italicas. Pro theatro Iesuitarum Latino tum ualuit theatrum musicum Itolorum idque in nostros dies permansit.

Sed pauca etiam de recenti aetate dicenda sunt, qua iterum (sed alio modo) Latinae litterae Monachii effloruerunt. Ludouicus I. non iam dux aut elector, sed rex Bauarorum, uniuersitatem nostram, quae Ingolstadiensis fuerat, tum Landshutensis, a. 1826 Monachium transtulit, adiutus magnopere a Friderico Thiersch, antiquitatis amantissimo, classicae philologiae professore, qui uocabatur etiam praeceptor Bauariae.⁵¹ Nec defuerunt alii professores nobiles. Nam Carolus Halm professor philologiae, origine Monacensis, primus consilium cepisse uidetur condendi *Thesauri linguae Latinae*,⁵² pro quo se accepisse dicebat in magno conuentu philologorum X milia florenorum a munificentia maiestatis suae Maximiliani II. regis de studiis atque uniuersitate egregie meriti. Sed haec promissio X milium florenorum, ut uidetur, falsa et ficta erat. Nulla praesto erat pecunia: Carolus Halmus deceptus et iratus sese recepit ad Codices Monacenses (erat enim etiam Rector Bibliothecae Regiae).

Excepit eius consilium et ad felicem euentum perduxit uir de studiis Latinis unice meritus, Eduardus Woelfflin (qui etiam dicitur historicae syntaxis inuentor fuisse). Is cum successisset Carolo Halm in cathedra Monacensi summa diligentia, constantia, perseuerantia effecit, ut uiginti quinque annis ederetur XV uoluminibus Archiuum uocibus Latinis linguaeque melius intelligendis (*Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*), cui archiuo operam dederunt sescenti uiri doctissimi. Ex horum laborum fructibus perspicue manifestum erat quam utilis atque adeo necessarius esset *Thesaurus linguae Latinae*, qui omnes Latinas litteras, saltem antiquas, complecteretur. Sic contigit Eduardo, quod Carolus Halm frustra sperauerat: quinque Academiae operas sociauerunt, ut anno millesimo nongentesimo, id est ipsis auspiciis saeculi uicesimi editus sit primus fasciculus *Thesauri*, qui continet uerba ab *a* usque ad *absurdus*.

Malum omen hoc lemma! Absurda autem non erat operis dispositio aut ratio: usque ad haec nostra tempora ea quae Woelfflinius uoluerat usu comprobata sunt et ualida permanserunt (in tanta mutatione disciplinarum, praesertim linguisticarum); absurda erant, quae de temporis spatio auctores *Thesauri* cogitauerant. Quindecim annis tantum *Thesaurum* absolutum iri sperauerant: spes uere absurda. Nunc plus quam centum anni praeterierunt necdum ultra litteram *P* progressi sumus. Si di uoluerint, post quinquaginta annos demum *Thesaurum* perfectum habebimus. Sed utcumque haec sunt, certe hic *Thesaurus* maximum lexicorum omnium est, quae umquam extiterunt neque iniuria de eo *Encyclopaedia Britannica* iudicauit: nullum fere esse lexicon aliud tanta doctrina et diligentia compositum (iuuat id quidem dicere Anglice: *probably the most scholarly dictionary in the world*)⁵³. Nec

⁵⁰ Breuerus (ut adn. 45) 241, qui in hac ode uituperationem aliquam principis nimium sese iactantis latere suspicatur, hanc uocem *pererrat* interpretatur tamquam malum omen de futuro principe qui muneri suo par non futurus sit (quamquam hic de fratre minore, non de futuro electore Baldeus loquitur). Talia minus mirum est aliquem scripsisse quam aliquos credidisse.

⁵¹ Cf. Heinz Gollwitzer, *Ludwig I. von Bayern*, Monachii 1986, 472 sqq., 545 sqq.; Selbmann (ut adn. 13) 53-69.

⁵² *Thesauri* historiam illustrat Dietfried Krömer (ed.), *Wie die Blätter am Baum, so wechseln die Wörter: 100 Jahre Thesaurus linguae Latinae*, Stuttgartiae / Lipsiae 1996.

⁵³ *Macropaedia*, uol. 18, ¹⁵1994, 281

solum uolumina iam in lucem edita utilia, immo necessaria sunt omnibus, qui Latinis litteris operam nauant, sed etiam ipsa illa milliens milia chartularum, quae omnes locos singulorum uerborum continent (quas nunc diligentissime custodit et tuetur Hugo Beikircher). Dum *Thesaurus* erit, Monachium urbs manebit Latinissima: ut Muselmanni ad suam Meccam, sic Latinitatis cultores Monachium ire cogentur.

Accedit alia causa. Maxima pars Latinarum litterarum, ut nostis, non antiquis temporibus conscripta est, sed aut mediaeuali aut recentiore aetate. Ac prouinciam mediaeuaalem, ut ita dicam, olim administrauerunt philologi classici q.d. aut alii philologi aut historici, quasi operis subsiciuis. Donec initio praeteriti saeculi Ludouicus Traube⁵⁴ Berolinensis, sed nostri Monacensis seminarii alumnus, extitit, qui uiribus ingenii sui fretus et immensa doctrina eaque prorsus noua perfecit, ut haec studia mediaeualia sua cathedra, suo seminario donarentur. Anno 1902 (duobus annis post primum *Thesauri* fasciculum) is Ludouicus Traube primus professor ordinarius litterarum Latinarum mediaeualium in uniuersitate Monacensi factus est⁵⁵ – quasi exemplum ac signifer omnium eorum, qui postea ubique terrarum tales professores futuri erant. Multum nos quidem qui classici philologi Monacenses dicimur his praeteritis annis pugnauimus, ut haec cathedra mediaeualis in tanta parsimonia publica seruaretur; nunc ea ipsa nostri instituti siue seminarii pars facta est, ut discipuli nostri siue scholares, qui e maxima parte magistri futuri sunt, cogantur etiam mediaeuales litteras addiscere.

Nec nos Latinitati uiuae quae dicitur desumus. Vno quoque semestri iam uiginti sex annos colloquia Latina instituuntur eam ob causam, ut magistri futuri cum suis discipulis Latine confabulari queant. Condita est etiam *Sodalitas LVDIS LATINIS faciundis e.V.*, cuius id propositum est, ut ars grammatica nostra coniungatur cum artibus musicis, scaenicis, saltatoriis quoque. Ac si quaeritis, num etiam nunc Monachii sint poetae, sunt cantantque Musae Monacenses non spernendis modis.⁵⁶

Dixi pro domo, sed spero me uerum dixisse. Bis in omni aeuo Monachium uocari urbs Latinissima meruit: primum eo saeculo quo Iesuitae, ab Alberto V. duce uocati, mira spectacula ediderunt, donec Maximilianus I. mortuus est; deinde hoc nostro saeculo, ex eo tempore, quo *Thesaurus* suas opes omnibus in re publica litterarum uersantibus exhibet. Vos autem, si quando *Thesauri* fortasse causa in nostram urbem ueneritis, nolite obliuisci ea quoque uisitare, quae Albertus V., Gulielmus V., Maximilianus I. monumenta Latina reliquerunt. Visite etiam uniuersitatem, quae iussu Ludouici I. regis aedificata est, tot titulis Latinis insignem. Quorum nouissimus a socio nostri seminarii, Georgio Pfligersdorffer, nuper defuncto, conditus est: *MORTVORVM VIRTUTE TENEMVR*.

Spectabitis certe urbem Latinissimam.

⁵⁴ Virum ingeniosum praemature defunctum digne laudauit Franz Boll, in: Ludwig Traube, *Vorlesungen und Anhandlungen*, Monachii 1909, vol. 1, p. IX-XLVII.

⁵⁵ Post Traubii mortem Monachii apud Academiam scientiarum Bauariae ad imitationem *Thesauri* conditum est etiam *Lexicon mediae Latinitatis* (Mittelateinisches Wörterbuch).

⁵⁶ Cf. Wilfried Stroh, „Musae Bavarae Latinae“, in: *aviso* 1, 2008, 22-27. Proponuntur Henricus Antoni, Vuius Dubielzig, Ioannes Wieland, quartus quoque.